Opr. Kombek W. 1923

NOVA
LUX.
POLONIÆ.
LUSTRICO DIE.
MIECISLAI I.
POLONIÆ PRINCIPIS
DUM

Septem annos natus puer, comam deponens
Lucem primum aspexit.

EXORTA.

ET

A Musis Stylo Genethliaco Cracoviae in
Palaestrâ Oratoriâ Collegii
Vladislaviani.

Demonstrata

1735

A. Dni. 1666 Die 16 Febr.

69

DEDICATORIA.

Oderunt semper tenebras Musæ, et in ipsis etiam, quos amant incolere Lucis; porrectis Vultibus respiciunt ad Lucem. Serene Princeps ZEMOMISLAE D. C. Cælo minitantia Parnassi cacumina sedes illis sunt; quicquid humile et Vulgari caligine oppressum; rarò aut nunquam adeunt. Viderunt hæ exortam in summo fastigio Poloni Orbis NOVAM LUCEM: ideoq; tanto celerius ad amicum sibi iubar procurrerunt; quanto maiorem inde sibi ominantur Venire splendorem. Peregrinæ hactenus erant, hoc sub sole et Solo: quia minus calente et culto. Statim Vbi illustratum Vident; in Lechiam spretis migrare Athenis non dubitabunt. Dummodò de affectu tuo Princeps Potentissime Lechidarumq; omnium non sint solicitæ. quem Voto hoc et præsagamentis officio comprimis demereri Volunt. Accipe pignus deuotarum tibi mentium, ipsasq; Camœnas, ornamentum Principatus tui insigne futurum, cum earum Cultoribus Foue.

ORATIO.

Quod omnis cogitando renduet memoria, posteritas loquendo Auspica-
die hodierna (quæ cum in fastis primam insignis honoris paginam meruit
ducta ab auro. Cressa ne careat pulchra dies nota
Venerandum Judico) Miesconem Principem à naturâ toto damnatum septen-
nio ad tenebras; ad lucem benignâ sententiâ Superum revocatum, serena
fronte omnes, hilari vultu, gestientes; præ lætitiâ corde feliciter aspexim(us)
Movit ille ad primum palpebrarum suarum nictum, oculos Poloniæ toti(us)
et cum pupillam suam illi adverterent orbitatem amovit: exortu Lucis pro-
prio, ab occasu et omnis confusionis caligine, dulcem Patriam conservav(it).
Quæ ubi primum Miesconem in lucem editum, sine luce vidit; utramque lu-
minum suorum Pharum, superante lachrymarum procellâ, penitus
depressit: nec prius malaciam sensit; donec Gemini hi Principis item
propè nati, mediâ hâc tempestate illuxissent. Credidit illa tum ab ultimâ Thule
ad juga Carpati æstivis nivibus rigentia, semestres noctes commigrasse; sed
diuturniores experta est, totis septem annis, quibus natura Principi
oculos formabat, clausa mærore tenens lumina, defixumque solo vultum: sui
solatio esse non poterat, condolere voluit, calamitatem imitatione participare.
Non cessit pietate et officiis in Principem Persis, aut Indis, quibus
solenne olim cum luscis cæcutire, cum claudis cespitare Regibus. Nihil
omnino videre sibi visa est, cum caput sui corporis, quibus cæteris mem-
bris prospiceret, oculos non haberet. Sterilitatem tuam Princeps Gemomi-
slae incusaret Lechia? non potuit: Filium ei dedisti. Fœcunditatem præ-
dicaret? non orbum luminibus reddidisti. Nubila ideò semper fuimus illi
ad hanc tempestatem: quo ad serenus hic illuxerit, et universam Sar-
matiam recreant Phanes. Et verò quis adeò pronus genti et glebæ im-
mersos obtutus Bæotes aut [illegible]! qui ad exortam quamvis in mundi
partem lucem oculos non adverat intentos? Ut cæteris sensibus hæc

poten.

potentia perfectior: ita ~~fert~~ ferri in sua obiecta expeditior est. Si roseu
aurora surgens studio caelo vultum explicaverit; neminem non spectatorem
habet. Si Pater ille nascentis toto caelo, totaq. terra lucis tempestive
post horrorem noctis, amicam viventibus omnibus facem admoverit; nulli
non venerabilis et salutatus erit. Suspicimus in auge plena commodati
luminis Phaebem; sed non minus reparantem sua cornua cum voluptate
spectamus. Et si quando pellucida domus illa in facie inferi huius orbis
produxerit imagines: speculum nobis ea ipsa est, in quo desideriis vul-
tibus, et novitatem rei admiramur, et futurorum certa odoramur soliata
indagine praesensionem. Incaluit universa Polonia sero post Te-
das Hymenaei, Lucinaeq., visa sine luce favores; accensis ex impro-
viso in Regia tua Genethliorum ignibus. Collucent quamvis in pte sua
signa certioris laetitiae, crebro excitatis flammis. Fervent fidissima
subditorum tuorum pectora, et in isto ardore, tibi quidem Princeps
Invictissime, Parentis felicitatis prospera semper et numquam
diminuenda incrementa gratantur; Tibi vero totiq. Patriae,
cum abunde gaudeant, tum novam Lucem de Luce Miesconis
accensam iri, Poloniamq. certo illustranda bene feliciterq. au-
gurantur. Omnes in ius etiam Trophonij fumeoq. antro pleni
entheo vates sumus. Nec fumos omnia aut umbras, sed Lucem
caelitus immissam serenioresdumtaxat soles in Lechico
caelo orituros praesagimus. Adverterat Princeps oculos:
et si crepusculi saltem a nobis demonstrati signa videris,
diem in propinquo iam esse ipse affirmabis. Vox haec populi uno
ore felicitatem tuam, futuramq. Patriae Lucem loquentis, vox
Dei est. Aures illi accomoda: et iucunda auditu erit et eventu
(quem interpretes tibi Sarmatiae pollicentur Musae) plusquam
certissima. Frustra nec agere quidem nec imprudenter (quantumvis
consilio careat omni) cum bene sanis affirmamus naturam:
quidquid in hac aut temeritati Democriti, vel ob id ipsum cachinno
dignus videat: aut Anaxagoras indistinctae confusionis ad-

Fin:

ad fingat. Habet vis illa totius Universi pectori infusa, et fines suos quos
propter omnia agat, et in agendo sanctas rationes et vias certas, quas nunquam
transgrediatur. Ita cum in minimis tota illa sit; tum nescio in magnis quam Univer:
sa et pro lixe operosa. Quidquid usquam Magni sinu suo concepit; summo cum
impendio non nisi diuque molita opus, semper edidit. Carneos illos Getulis montes,
totis decem annis parturit. Leonem quasi ut satis in utero ad fortitudinem for:
mavit; linguâ Parentis, uno et altero mense informandum rictuque Leonis ter:
ribili animandum relinquit. Quanto vero uni homini magis prae omnibus to:
tam se in obsequium impendit; tanto hic cura et nutriendi diligentia maior.
Monstrorum domitorem quatuor supra decem menses in utero Alcmenae detinuit:
Ut compactis bene, intra claustra genitalia membris; par esset Alcidas im:
missis ab iniusta Noverca percussoribus, intra cunas elidendis. Et belli fulmina
Scipiadas noviri, sed fractis ferro obicibus erupisse voluit; Ut qui excidium Car:
thaginis in utero adhuc meditati sunt, per caedes nascerentur. Ream hactenus
Polonia in iudicium Universi Orbis egit insectanter Naturam; summam eius
adversum se culpans nocendi licentiam: quod et thalamos Principis sui te
inani diu admodum elusit, et licet sero sive poenitentiam agere visa est;
expectatam tot votis prolem sterili alioquin senectae concedens; nihilominus
tamen iniuriosa extitit, cum desiderium quidem Regis sobolis felici puer:
perio Principis tuo, in te Princeps inclyte totaque Polonia extinxit;
sed idem desiderium negatâ partui luce; maiori ardore inflammandum
reliquit. Quot tum ora Poloniae! quot acres adversus opificem hanc nequicquam
frustra facientem insurgebant accusatores! Communi mortalium vitio,
qui Divina pariter ac humana ex arbitrio suo metientes, potentem fati legem,
cum multa intercessione fastidiunt: quid boni procuraret illa in futurum,
intelligere nolunt. At enim.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus
Tu porrò quid aeternis minorem,
Consilijs animum fatigas.

Erravimus hunc errorem omnes, et superos minus Polonis propitios, communemque
rerum omnium et benignam Parentem novercali odio in Principem Infante
exarsisse, questi sumus, ignari tanto molimine impendi, quantum nobis
formaret Principem, quantam post diuturnas tenebras delaniarem

et Lucem. Non fefellit in Hercule. Fidem fecit in Scipione. hanc eandem me:
retur et in nostro Miescone. Diu sperata est: quid mirum? competens hoc magnitudini mora fuerat. Qui Lucis usuram negavit, bene est, cum maiore fe:
nore luminis, praelucere paravit claritati ... debebamus profecto

(si mens non laeva fuisset.

aut obtusa adeo gestaremus pectora; omnem prosperitatem Regi, Patriae amo:
rem Divinum prope, à Miesconis orbitate nobis polliceri. Sed caecutiimus cum ipso, nec felicitati venturae certissimum omen parum oculati advertimus.
Rerum humanarum Unam caecam cum Amoris numine adoravit Antiqui:
tas. Ab illa secundis rebus aequabilem cursum, ab hoc ipsidem conservatione et munimen certum, adversus vim omnia dissipantis sperans. Posita sunt
haec et impense culta in Lararijs Regij custodientium idola. Non recedebant
è cubiculis Imperatorum haec simulacra: venerabiliorq fascibus, aut diademate
hoc tessera Imperij fuit.

• Sponte haec enimvero tibi Princeps Inclyte obvenit, in penetralibus tuis Praenestina visa est: cuius vivam in se imaginem Fortunata Soboles tua, hanc
in diem exprimens, documentum certissimum dedit: accensum gemina hac lam:
pade sacrum ignem, non nisi ampliori cum incremento claritatis efferri
debere olim Polono Imperio.

Quisquis non uno pariam coluisse Minerva

et operum anteacti aevi ad posteritatem memoriam est fidelis exactor: haud ignorare poterit accensos et flatos ignes, tam Romanis quam Asiaticis signum
fuisse Imperij Principibus. Hoc praeeunte apud Populum Quiritium
in Curiam, hoc in Domicilium pacis; hoc in Martis campum itum est semper.
Dario adversus Macedonem procedenti, ignis quem ipsi sacrum et aeternum
vocant argenteis altaribus praeferebatur. Curtius auctor. Fuit haec usq.
olim apud Xenophontem Cyro, Commodis, Aurelianis, alijsq. togati populi
Imperatoribus Tacito loquente finit. Et pariter Romana Aquila,
fulmine ac Lumine conspicua, Supremis Magistratibus via semper
initiavit. Et vero quoties flamma ex improviso oborta caput alicuius
attactu luminoso delibavit: Nunquam nisi futuro splendori illis
verticibus praeluxit. Ambedere Caesariem Ascanij ignis visus est:
quia iam tum in capite suo locum Diademati condito Albae Regno

praeca!

praxavit. Puerum adhuc Ser: Tullium afflavit: qua sic ad splendorem Re-
gium initiari debuit. Nec vano auspicio, nam L. Marcij martis in Exercitu
post interitum Publij et Cnei Scipionum in Hispania concionantis, frontem sere-
navit; insigni enim ex hostibus triumpho, caesis octo et triginta millibus, binisq;
castris direptis, effulsit. Magnae semper felicitatis nuntius erat, caelestis
in haec inferiora subito lapsus splendor. Habet hoc miraculum in oculis suis
Polonia. Videt in Principe Miescone accensum ad rotas solis et in terram
deductum (ita Dijs permittentibus) ignis caelestis splendorem. Quid ni
igitur in flamma hac et suam illustrationem tota Sarmatia: et in Miescone
illuminato crescentis Juli spem, Tullij regnum, Lucij fortunam, suspicat
certoq; sibi polliceatur? o Lucem Poloniae late Arctoas brevi oras illumina-
turam! o Divinam sacri ignis flammulam! splendorem nominis Lechici
in facie totiq orbis accensuram! Caesariem ponit Miesco, lumen recipit:
felix commutatio! nomen cum lumine assumit, bonu omen! certa felicitatis
tessera! efficax laetitia omnibus, et aegrae mentis consolatio. Caelorum vim, sy-
derum cursus diligenter scrutantibus, experimento compertum est: haec
humana ad astrorum motus regi; nec alias ee Parcas, quae nascentibus
fata disponant. Quippe ex eorum inter se commercio, si universa tellus
accipit vices et ad ubertatem aut fugum internecionem adigitur; si annos,
si saecula vis illa definit, quid miremur singula mortalium corpuscula inde
vitam, cupiditates, laeta et tristia sortiri! Juppiter solq; et Venus optimi Pla-
netarum, deterrimusq; cum Marte Saturnus, Mercuriusq; et Luna varij ex
sorte locorum quae insident. Cuius illorum regnum fuerit, cum in orbem quis
intrat, quo gradu, quo aspectu, illum caeteri temperaverint, vel vserint. Illic
quidquid de quo decretum est, Chaldaeis legitur. Liceat et nobis hanc caeli
observare imaginem! Quid vero hic tantus astroru in ortu Miesconis, tamq;
incredibilis consensus! isti synodi mirabiles Planetarum! haec caeli domus
decima! religionis sublimationem, regum et Imperatorum exaltationem,
pacis belliq; ornamenta significans! An non Achilleum bonae spei
nobis omnibus praebet argumentum! Bene venit Augusto Capricornus
et ideo semper annuli gemma honoratus. Et Tiberium isti non
dederunt in errorem errones. Quodq; insignis illa Caelorum pagina cuiqm
descripsit, innumeraro recepit. Quid plura! en tibi exspecto quam,

Videre iam videmur Poloniam, ceterem alteram sed secundam magis. Illa Li:
bam ad Umbras amisit, nec recepit: haec natum Miesconem a tenebris
Luci restitutum gaudet, ignesque tota regione, laetitiae et maioris indicia suc:
cendit. Placet sibi laetis temporibus serta collectarum uberrima ex messe
aristarum deferens. Jam hic ad oram Borysthenemque Moles Herculeas
cum Antesignano Regum suorum proponit. Illic caesis accolarum fron:
dibus, opima hostium exuviis trophaea erigit: hinc Litavis, illinc Rus:
sis et Moldavis, Pannonibus et Bohemis; hinc Prutenis, Pomeranisque,
illinc Livoniis Moscoviis. Curvanda haec futurae felicitatis nostris
olim, oberrant in oculis imagines. Jam ipsa Polonia dicit, bono et rusi omni:
ne religioni veri magni Dei cultui, hic sacer, nam caelo datus co:
luit ignis. Lux illa Regnorum et Imperiorum anima, numi:
nis syncerus honos et unus. In auge apparebit nunc pri:
mum. Vivet totique Regno: pene iam emortuum corpus vivacu:
ore spiritu informabit. Accendet flamma haec caelestis plu:
ribus altaribus aeternos ignes, sacratos crebro focos excitabit.
Et quae a Polo nomen habet, caelum ob sinceram venerationem
praesentis sibi Numinis Poloniam efficiet. Omnes errorum
nebulas et quascunque tandem lucem. Lechici nominis oppresse:
runt caligines, hoc fugabuntur ab exorto sydere. Lux quoque to:
ta, tota claritas et fulgor omnium oculis malevorum castigans,
hic quasi in centro suo multiplicatis radiis fortius in adversa
aget. Advertite oculos caelo, Inclyta Lechi domus, et istum
solito maiorem astrorum tuorum diligentius examina splen:
dorem; unde is. coma Erusci aut Ariadnae ardor? si dubi:
tas medium inter haec ornamenta caeli micare iam principis
tui illuminati claritatem? et hic ad aras dedicatas, fumum
contractura pendebit. Lucem tenebris nunc attulit;
publica lux illam, in domo luminis manet. caliginem
omnem aspernatur et odit. - Veneremini ergo iam diem.

diem hunc Poloni, quem totus olim orbis suspiciet et venerabundus in fastis Principe loco adnotabit. Observate religiosius horam hanc, quae aurei Vobis temporis, et clarissimorum sine nube dierum exordium est. Gaude inprimis tu Ziemomislae Princeps fortunâ, quam eadem criminabaris hactenus, nemini oculatior, vultum exporrexit serenum qua tibi. Quod abstulisse credebaris, iam cum foenore multiplici reddidit. Dedit sterilitati solatium: nubilae menti serenum restituit: claritatem nominis splendore oborto: immortalitatem, digno successore propagavit. Vives Ziemomislae traduce hoc productam seros per nepotes vitam. Supercilio tuo luce istâ erecto, latissima Poloni Imperii movebis. Proferet Lechia eximii candoris Aquila, non solum in corvorum nidos; sed etiam in equorum pascua, Leonumque et Draconum cubi~~lia~~cula, primaeva sua de veteri Gneznâ genitalem sedem. Agnovit genuinam prolem suam, probans ad solis ortum luminibus, die hodiernâ, Miescone. Infundet generosi sanguinis vigorem, et evectum in sublime late imperandi artem, armigera gubernantis ora Jovis ales, edocebit. Non accenditur ignis, nisi circumiacentia cum illuminaverit, calefaciat. Speramus utrumque hoc: Coeli, naturae, experientiae legibus convicti. Quod felix et faustum sit tibi Princeps Inclyte, Reip: Polonae gloriosum, bonis omnibus salutare: prolixo cum gratulationis officio, hospites nunc, sed brevi indigenae futurae precantur Sarmaticae Musae: et.

Certus enim promisit Apollo.

Concepto per sacra Hippocrenes latices sacramento promittunt.

1 Apostolorum et conciliorum Decreta graece 4

Marini Ghetaldi Patricij Ragusini

2 Promotus Archimedis etc. 4.

3. Josephi Zarlini de vera Anni forma. 4.

4 Aristotelis mechanica ab Henrico Monantholio etc. 4

5 Tabula Astronomica ad Horologiorum constructionem etc. Clavij 4

6. Pauli Benij de Historia 4

7 De Centro gravitatis solidorum Lucae Valerij 4

8. Perspectivae communis libri 3. 4

9 Lucae Gaurici de Mensuris etc. 4.

10. Petri Nonii de Crepusculis 4.

11. Magini Confutatio Diatribae 4

1 Herbesij de ...

2 Graeca lingua Greniani Graeco latine. 6

3 Animadversiones Gruteri in opera Senecae 8

4 De Architectura Annotationes Guilelmi Philandri 8

5 Dictionarium della lingua Volgare Latina. 8

6. Institutionum Arithmeticarum Joannes Lantz S.J. 8

7. Mureti Variarum Lectionum Libri XV 8

8 De regimine iter agentium Guilhelmo Gratarolo. 8

Quaestiones Mathematicae Joannis Malleoti 8

9 Naboti de Calculatoria. 8

10 Hypotheses Astronomicae 8

6